

FRANCISCI PATRICII
PANCOSMIAS
LIBER QUINTUS
DE PRIMARIO CALORE.

Εἰσι πάντα πυρὸς ἐνὸς ἐκγεγαῶτα.

“Sunt omnia igne uno genita.”

Potest id oraculum, duplici, et utroque ambiguo accipi sensu. Nam et pro conditrici universi causa, quasi opera ignis sint effecta omnia: et pro materiali causa, quali ex eo sint omnia procreata. Quo eum modo Heraclitus rerum generationi videtur supposuisse. Sed de materiali agendum postea. Nunc effectorem illum consideremus.

Zoroaster idem, humanæ totius sapientiæ pater, divinitati universæ ignem videtur tribuisse.

Nam et Deum patrem ignem nominat, quando ait:

Εαυτὸν ὁ πατὴρ ἤρπασεν, οὐδ' ἐν ἑῷ.

Δυνάμει νοερᾷ κλείσας, ἴδιον πῦρ.

“Se ipsum pater rapuit, neque in sua

Potentia intellectuali, claudens proprium ignem.”

Pater inquit proprium ignem, non clausit in potentia sua intellectuali, in primo nempe intellectu, qui ab ipso, uti iam sæpe vidimus, potentia patris, et paterna nominatur. Sed si hunc suum ignem, pater non clausit, quo eum effudit, aut diffudit? Et in mentem primam, et in secundam, et in Ideas, et in mentes alias, et in animos, et in corpora omnia usque ad centrum. Horum testimonia afferamus. De prima quidem mente ita canit.

Οὐ γὰρ εἰς ὕλην πῦρ, ἐπέκεινα τὸ πρῶτον.

ἔην δύναμιν κατακλείει ἔργοις, ἀλλὰ νόῳ.

“Non enim in materiam, ignem ultraneum primum.

Suam potentiam, includit operibus, sed Menti.”

Pater, inquit, suum ignem primum qui ultra, et trans omnia est, eiusque est potentia, non includit in materia, eiusque operibus, sed in Mente. Scilicet prima, quæ potentia patris est vocata. Deinde hunc ipsum ignem, secunda Mens, sibi induit. Ait namque.

Ὅς ἐκ νόου ἔκθωρε πρῶτος.

Ἐσσάμενος πῦρ συνδέσμιον, ὄφρα κεράση.

Πηγαίους κρατῆρας, ἐοῦ πυρὸς ἄνθος ἐπισχῶν.

“Qui ex Mente exiliit primus.

Indutus igni ignem vincientem, uti impleat.

Fontanos crateras, sui ignis florem immittens.”

Ut eo igne repletet fontanos crateras, Ideales scilicet unitates et essentias. Hanc autem secundam Mentem, Hermes, alter sapientiæ pater. Deum ignis et spiritus nuncupaverat. Sed et multis sacrorum *Bibliorum* locis legere est, Deum, ignem nominari. Sed sufficiat locus unus Danielis. In quo scripta sunt:

“Thronus eius flamma ignis. Rotæ eius ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque, egrediebatur a facie eius.”

A quo forte loco, si eum legit Orpheus sumpsit.

Σὺ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παρασᾶσι πολύμοχοι. Ἀγγελοι.

“Tuo throno igneo, astant, laboriosi Angeli”.

Sed et Apollo Delphicus, oraculo quodam suo, a Lactantio adducto, cecinit de Deo.

Ἐν πυρὶ ναίων.

“In igne habitans.”

Singulæ ergo Trinitatis personæ, et simul omnes non divisim, sunt nomine ignis appellatæ, et in igne habitare et sedere. Sed et Ideas igneas, Zoroaster facit, cum canit.